

Book V

Student Edition, pages 111–113

1 [24] Subductīs nāvibus, conciliōque Gallōrum Samarobrīvae perāctō, quod
2 eō annō frūmentum in Galliā propter siccitātēs angustius prōvēnerat, coāctus
3 est aliter ac superiōribus annīs exercitum in hibernīs collocāre legiōnēsque
4 in plūrēs cīvitatēs distribuere. Ex quibus ūnam in Morinōs dūcendam C. Fa-
5 biō lēgātō dedit, alteram in Nerviōs Q. Cicerōnī, tertiam in Esubiōs L. Ros-
6 ciō; quārtam in Rēmīs cum T. Labiēnō in cōnfīniō Trēverōrum hiemāre
7 iussit. Trēs in Belgīs collocāvit: eīs M. Crassum quaestōrem et L. Munātium
8 Plancum et C. Trebonium lēgātōs praefēcit.

9 Ūnam legiōnem, quam proximē trāns Padum cōnscrīpserat, et cohortēs v
10 in Eburōnēs, quōrum pars maxima est inter Mosam ac Rhēnum, quī sub
11 imperiō Ambiorīgis et Catuvolcī erant, mīsīt. Eīs militibus Q. Titūrium
12 Sabīnum et L. Aurunculeium Cottam lēgātōs praeesse iussit. Ad hunc mo-
13 dum distribūtīs legiōnibus facillimē inopiae frūmentariae sēsē medērī posse
14 exīstimāvit. Atque hārum tamen omnium legiōnum hiberna, praeter eam
15 quam L. Rosciō in pācātissimam et quiētissimam partem dūcendam dede-
16 rat, mīlibus passuum centum continēbantur. Ipse intereā, quoad legiōnēs
17 collocātās mūnītaque hiberna cognōvisset, in Galliā morārī cōstituit.

1 [25] Erat in Carnūtibus summō locō nātus Tasgetius, cuius maiōrēs in suā
2 cīvitatē rēgnum obtinuerant. Huic Caesar prō eius virtūte atque in sē bene-
3 volentiā, quod in omnibus bellīs singulārī eius operā fuerat ūsus, maiōrum
4 locum restituerat. Tertium iam hunc annum rēgnantem t̄nimicīs iam mul-
5 tīs palam ex cīvitatē et eīs auctōribus eum† interfēcērunt. Dēfertur ea rēs ad
6 Caesarem. Ille veritus, quod ad plūrēs pertinēbat, nē cīvītās eōrum impulsū
7 dēficeret, L. Plancum cum legiōne ex Belgiō celeriter in Carnūtēs proficīscī
8 iubet ibique hiemāre, quōrumque operā cognōverat Tasgetium interfectum,
9 hōs comprehēnsōs ad sē mittere. Interim ab omnibus lēgātīs quaestōribus-
10 que quibus legiōnēs trādiderat certior factus est in hiberna perventum lo-
11 cumque hibernīs esse mūnītum.

1 [26] Diēbus circiter quīndecim, quibus in hiberna ventum est, initium re-
2 pentīnī tumultūs ac dēfectiōnis ortum est ab Ambiorīge et Catuvolcō; quī,
3 cum ad finēs rēgnī suī Sabīnō Cottaēque praestō fuissent frūmentumque
4 in hiberna comportāvissent, Indutiomārī Trēverī nūntiīs impulsī suōs con-
5 citāvērunt subitōque oppressīs lignātōribus magnā manū ad castra oppug-
6 nātum vēnērunt. Cum celeriter nostrī arma cēpissent vāllumque ascendis-
7 sent atque ūnā ex parte Hispānīs equitibus ēmissīs equestrī proeliō superi-
8 ōrēs fuissent, dēspērātā rē hostēs suōs ab oppugnātiōne redūxērunt. Tum
9 suō mōre conclāmāvērunt, utī aliquī ex nostrīs ad colloquium prōdīret:
10 habēre sēsē quae dē rē commūnī dīcere vellent, quibus rēbus contrōversiās
11 minuī posse spērārent.

1 [27] Mittitur ad eōs colloquendī causā C. Arpineius, eques Rōmānus, fami-
2 liāris Q. Titūrī, et Q. lūnius ex Hispāniā quīdam, quī iam ante missū Caesaris
3 ad Ambiorīgem ventītāre cōnsuerat; apud quōs Ambiorīx ad hunc modum
4 locūtus est: sēsē prō Caesaris in sē beneficiīs plūrimum eī cōnfitērī dēbere,
5 quod eius operā stīpendiō liberātus esset, quod Aduātucīs, finitimīs suīs,
6 pendere cōnsuēsset, quodque eī et filius et frātris filius ab Caesare remissī es-
7 sent, quōs Aduātucī obsidum numerō missōs apud sē in servitūte et catēnīs
8 tenuissent; neque id, quod fēcerit dē oppugnātiōne castrōrum, aut iūdictiō aut
9 voluntāte suā fēcisse, sed coāctū cīvitātis, suaque esse eiusmodī imperia ut
10 nōn minus habēret iūris in sē multitūdō quam ipse in multitūdinem. Cīvitātī
11 porrō hanc fuisse bellī causam, quod repentīnae Gallōrum coniūrātiōnī re-
12 sistere nōn potuerit. Id sē facile ex humilitāte suā probāre posse, quod nōn
13 adeō sit imperītus rērum ut suīs cōpiīs populum Rōmānum superārī posse
14 cōnfīdat. Sed esse Galliae commūne cōnsilium: omnibus hibernīs Caesaris
15 oppugnandīs hunc esse dictum diem, nē qua legiō alterae legiōnī subsidiō
16 venīre posset.

(continued)

17 Nōn facile Gallōs Gallīs negāre potuisse, praesertim cum dē recipendā
18 commūnī libertāte cōnsilium initum viderētur. Quibus quoniam prō pie-
19 tāte satisfēcerit, habēre nunc sē ratiōnem officiī prō beneficiīs Caesaris: mo-
20 nēre, ōrāre Titūrium prō hospitio, ut suae ac mīlitum salūtī cōnsulat. Magnam
21 manum Germānōrum conductam Rhēnum trānsisse; hanc adfore biduō.
22 Ipsōrum esse cōnsilium, velintne prius quam finitimī sentiant ēductōs ex
23 hibernīs mīlitēs aut ad Cicerōnem aut ad Labiēnum dēdūcere, quōrum alter
24 mīlia passuum circiter quīnquāgintā, alter paulo amplius ab eīs absit. Illud
25 sē pollicērī et iūre iūrandō cōfirmāre tūtum iter per finēs datūrum. Quod
26 cum faciat, et cīvitātī sēsē cōnsulere, quod hibernīs levētur, et Caesarī prō
27 eius meritīs grātiam referre. Hāc ōrātiōne habitā discēdit Ambiorīx

1 [28] Arpineius et lūnius quae audiērunt ad lēgātōs dēferunt. Illī repentinā
2 rē perturbātī, etsī ab hoste ea dīcēbantur, tamen nōn neglegenda exīsti-
3 mābant maximēque hāc rē permovēbantur, quod cīvitatē ignōbilem atque
4 humilem Eburōnum suā sponte populō Rōmānō bellum facere ausam vix
5 erat crēdendum. Itaque ad cōsiliū rem dēferunt magnaue inter eōs ex-
6 sistit contrōversia. L. Aurunculeius complūrēsque tribūnī mīlitum et prī-
7 mōrum ōrdinum centuriōnēs nihil temere agendum neque ex hibernīs in-
8 iussū Caesaris discēdendum exīstimābant: quantāsvīs etiam magnās cōpiās
9 Germānōrum sustinērī posse mūnitīs hibernīs docēbant: rem esse testi-
10 mōniō, quod prīmum hostium impetum multīs ultrō vulneribus inlātīs
11 fortissimē sustinuerint; rē frūmentāriā nōn premī; intereā et ex proximīs
12 hibernīs et ā Caesare conventūra subsidia; postrēmō quid esset levius aut
13 turpius, quam auctōre hoste dē summīs rēbus capere cōsiliū?

1 [29] Contrā ea Titūrius sērō factūrōs clāmitābat, cum maiōrēs manūs hos-
2 tium adiūctīs Germānīs convēnissent aut cum aliquid calamitātis in prox-
3 imīs hibernīs esset acceptum. Brevem cōsulendī esse occāsiōnem. Caesa-
4 rem arbitrārī profectum in Italiam; neque aliter Carnūtēs interficiendī Tas-
5 getī cōsiliū fuisse captūrōs, neque Eburōnēs, sī ille adesset, tantā con-
6 temptiōne nostrī ad castra ventūrōs esse. Nōn hostem auctōrem, sed rem
7 spectāre: subesse Rhēnum; magnō esse Germānīs dolōrī Ariovistī mortem
8 et superiōrēs nostrās victōriās; ardēre Galliam tot contumēliīs acceptīs sub
9 populī Rōmānī imperium redāctam, superiōre glōriā reī militāris exstīctā.
10 Postrēmō quis hoc sibi persuādēret, sine certā rē Ambiorīgem ad eiusmodī
11 cōsiliū dēscendisse? Suam sententiam in utramque partem esse tūtā:
12 sī nihil esset dūrius, nūllō cum perīculō ad proximam legiōnem perven-
13 tūrōs; sī Gallia omnis cum Germānīs cōsentīret, ūnam esse in celeritāte
14 positā salūtem. Cottae quidem atque eōrum quī dissentīrent cōsiliū
15 quem habēre exitum, in quō sī praesēns perīculum nōn, at certē longinquā
16 obsidiōne famēs esset timenda?

1 [30] Hāc in utramque partem disputātiōne habitā, cum ā Cottā prīmisque
2 ōrdinibus ācriter resisterētur, “Vincite,” inquit, “sī ita vultis,” Sabīnus, et id
3 clāriōre vōce, ut magna pars mīlitum exaudīret: “Neque is sum,” inquit, “quī
4 gravissimē ex vōbīs mortis perīculō terrear: hī sapient; sī gravius quid ac-
5 ciderit, abs tē ratiōnem reposcent quī, sī per tē liceat, perendīnō diē cum
6 proximīs hibernīs coniūctī commūnem cum reliquīs bellī cāsum sustineant,
7 nōn reiectī et relegātī longē ab cēterīs aut ferrō aut famē intereant.”

1 [31] Cōnsurgitur ex cōnsiliō; comprehendunt utrumque et ōrant, nē suā
2 dissensiōne et pertināciā rem in summum perīculum dēdūcant: facilem
3 esse rem, seu maneant, seu proficīcantur, sī modo ūnum omnēs sentiant
4 ac probent; contrā in dissensiōne nūllam sē salūtem perspicere. Rēs dispu-
5 tātiōne ad mediam noctem perdūcitur. Tandem dat Cotta permōtus manūs:
6 superat sententia Sabīnī. Prōnūntiātur primā lūce itūrōs. Cōnsūmitur vigi-
7 liīs reliqua pars noctis, cum sua quisque mīles circumspiceret, quid sēcum
8 portāre posset, quid ex īstrumentō hibernōrum relinquere cōgerētur. Om-
9 nia excōgitantur, quārē nec sine perīculō maneātur et languōre mīlitum et
10 vigiliīs perīculum augeātur. Primā lūce sīc ex castrīs proficīscuntur, ut qui-
11 bus esset persuāsum nōn ab hoste, sed ab homine amīcissimō Ambiorīge
12 cōnsilium datum, longissimō agmine maximisque impedīmentīs.

1 [32] At hostēs, postea quam ex nocturnō fremitū vigiliisque dē profectiōne
2 eōrum sēnsērunt, collocātis īnsidiīs bipertītō in silvīs opportūnō atque oc-
3 cultō locō ā mīlibus passuum circiter duōbus Rōmānōrum adventum ex-
4 spectābant, et, cum sē maior pars agminis in magnam convāllem dēmīssisset,
5 ex utrāque parte eius vāllis subitō sē ostendērunt, novissimōsque premere et
6 prīmōs prohibēre ascēnsū atque inīquissimō nostrīs locō proelium commit-
7 tere coepērunt.

Student Edition, pages 133–135

1 [33] Tum dēmum Titūrius, quī nihil ante prōvidisset, trepidāre et concur-
2 säre cohortēsque dispōnere, haec tamen ipsa timidē atque ut eum omnia
3 dēficere vidērentur; quod plērumque eīs accidere cōsuēvit quī in ipsō ne-
4 gōtiō cōnsilium capere cōguntur. At Cotta, quī cōgitāset haec posse in iti-
5 nere accidere atque ob eam causam profectiōnis auctor nōn fuisset, nūllā in
6 rē commūnī salūtī dēerat et in appellandīs cohortandisque mīlitibus impe-
7 rātōris et in pugnā mīlitis officia praestābat. Cum propter longitūdinem ag-
8 minis minus facile omnia per sē obīre et quid quōque locō faciendum es-
9 set prōvidēre possent, iussērunt prōnūntiāre ut impedīmenta relinquerent
10 atque in orbem cōsisterent. Quod cōnsilium etsī in eiusmodī cāsū repre-
11 hendendum nōn est, tamen incommodē accidit: nam et nostrīs mīlitibus
12 spem minuit et hostēs ad pugnam alacriōrēs effēcit, quod nōn sine summō
13 timōre et dēspērātiōne id factum vidēbātur.

14 Praetereā accidit, quod fierī necesse erat, ut vulgō mīlitēs ab signīs discē-
15 derent, quae quisque eōrum cārissima habēret ab impedīmentīs petere atque
16 arripere properāret, clāmōre et flētū omnia complērentur.

1 [34] At barbarīs cōnsilium nōn dēfuit. Nam ducēs eōrum tōtā aciē prōnūn-
2 tiāre iussērunt, nē quis ab locō discēderet, illōrum esse praedam atque illīs
3 reservārī quaecumque Rōmānī relīquissent: proinde omnia in victōriā po-
4 sita exīstimārent. Erant et virtūte et †numerō pugnandī† parēs. Nostrī, ta-
5 metsī ab duce et ā fortūnā dēserēbantur, tamen omnem spem salūtis in vir-
6 tūte pōnēbant, et quotiēns quaeque cohors prōcurrerat, ab eā parte magnus
7 numerus hostium cadēbat. Quā rē animadversā, Ambiorīx prōnūntiārī iubet
8 ut procul tēla coiciant neu propius accēdant et, quam in partem Rōmānī im-
9 petum fēcerint, cēdant: levitāte armōrum et cotīdiānā exercitātiōne nihil hīs
10 nocērī posse; rūrsus sē ad signa recipientēs īnsequantur.

1 [35] Quō praeceptō ab eīs dīligentissimē observātō, cum quaequam cohors
2 ex orbe excesserat atque impetum fēcerat, hostēs vėlōcissimē refugiēbant.
3 Interim eam partem nūdārī necesse erat et ab latere aperto tēla recipī. Rūr-
4 sus cum in eum locum unde erant ēgressī revertī coeperant, et ab eīs quī
5 cesserant et ab eīs quī proximī steterant circumveniēbantur. Sīn autem lo-
6 cum tenēre vellent, nec virtūtī locus relinquēbātur, neque ab tantā multi-
7 tūdine coiecta tēla cōfertī vītāre poterant. Tamen tot incommodīs cōflic-
8 tātī, multīs vulneribus acceptīs resistēbant et magnā parte diēi consūptā,
9 cum ā prīmā lūce ad hōram octāvam pugnārētur, nihil quod ipsīs esset in-
10 dignum committēbant. Tum T. Balventiō, quī superiōre annō primum pīlum
11 dūxerat, virō fortī et magnae auctōritātis, utrumque femur trāgulā trāicitur;
12 Q. Lūcānius eiusdem ōrdinis, fortissimē pugnāns, dum circumventō filiō
13 subvenit, interficitur; L. Cotta lēgātus omnēs cohortēs ōrdinēsque adhortāns
14 in adversum ōs fundā vulnerātur.

Student Edition, page 139

1 [36] Hīs rēbus permōtus Q. Titūrius, cum procul Ambiorīgem suōs cohor-
2 tantem cōspexisset, interpretem suum Cn. Pompeium ad eum mittit ro-
3 gātum ut sibi mīlitibusque parcat. Ille appellātus respondit: sī velit sēcum
4 colloquī, licēre; spērāre ā multitūdine impetrārī posse, quod ad mīlitum sa-
5 lūtem pertineat; ipsī vērō nihil nocitum īrī, inque eam rem sē suam fidem
6 interpōnere. Ille cum Cottā sauciō commūnicat, sī videātur, pugnā ut excē-
7 dant et cum Ambiorīge ūnā colloquantur: spērāre ab eō dē suā ac mīlitum
8 salūte impetrārī posse. Cotta sē ad armātum hostem itūrum negat atque in
9 eō perseverat.

1 [37] Sabīnus quōs in praesentiā tribūnōs mīlitum circum sē habēbat et
2 prīmōrum ōrdinum centuriōnēs sē sequī iubet et, cum propius Ambiorī-
3 gem accessisset, iussus arma abicere imperātum facit suisque ut idem faci-
4 ant imperat. Interim, dum dē condiōnibus inter sē agunt longiorque cōn-
5 sultō ab Ambiorīge īnstituītur sermō, paulātim circumventus interficitur.
6 Tum vērō suō mōre victōriam conclāmant atque ululātum tollunt impetū-
7 que in nostrōs factō ōrdinēs perturbant. Ibi L. Cotta pugnāns interficitur
8 cum maximā parte mīlitum. Reliquī sē in castra recipiunt unde erant ēgres-
9 sī. Ex quibus L. Petrosidius aquilifer, cum magnā multitūdine hostium pre-
10 merētur, aquilam intrā vāllum prōiēcīt; ipse prō castrīs fortissimē pugnāns
11 occīditur. Illī aegrē ad noctem oppugnātiōnem sustinent; noctū ad ūnum
12 omnēs dēspērātā salūte sē ipsī interficiunt. Paucī ex proeliō ēlāpsī incertīs
13 itineribus per silvās ad T. Labienum lēgātum in hiberna perveniunt atque
14 eum dē rēbus gestīs certiōrem faciunt.

1 [38] Hāc victōriā sublātus Ambiorīx statim cum equitātū in Aduātucōs, quī
2 erant eius rēgnō fīnitimī, proficīscitur; neque noctem neque diem intermit-
3 tit peditātumque subsequī iubet. Rē dēmōnstrātā Aduātucīsque concitātīs,
4 posterō diē in Nerviōs pervenit hortāturque nē suī in perpetuum liberandī
5 atque ulcīscendī Rōmānōs prō eīs quās accēperint iniūriīs occāsiōnem dī-
6 mittant; interfectōs esse lēgātōs duōs magnamque partem exercitūs inter-
7 īsse dēmōnstrat; nihil esse negōtī subitō oppressam legiōnem quae cum Ci-
8 cerōne hiemet interficī; sē ad eam rem profitētur adiutōrem. Facile hāc ōrā-
9 tiōne Nerviīs persuādet.

1 [39] Itaque cōfestim dīmissīs nūntiīs ad Ceutronēs, Grudiōs, Levācōs,
2 Pleumoxiōs, Geidumnōs, quī omnēs sub eōrum imperiō sunt, quam max-
3 imās manūs possunt cōgunt et dē imprōvisō ad Cicerōnis hiberna advolant,
4 nōndum ad eum fāmā dē Titūrī morte perlātā. Huic quoque accidit, quod
5 fuit necesse, ut nōn nūllī mīlitēs, quī lignātiōnis mūnitiōnisque causā in sil-
6 vās discessissent, repentinō equitum adventū interciperentur. Hīs circum-
7 ventīs, magnā manū Eburōnēs, Nervii, Aduātucī atque hōrum omnium sociī
8 et clientēs legiōnem oppugnāre incipiunt. Nostrī celeriter ad arma concur-
9 runt, vāllum cōnscendunt. Aegrē is diēs sustentātur, quod omnem spem
10 hostēs in celeritāte pōnēbant atque hanc adeptī victōriam in perpetuum sē
11 fore victōrēs cōfīdēbant.

1 [40] Mittuntur ad Caesarem cōnfestim ab Cicerōne litterae, magnīs prōpo-
2 sitīs praemiīs, sī pertulissent; obsessīs omnibus viīs missī intercipiuntur.
3 Noctū ex matēriā, quam mūnitiōnis causā comportāverant, turrēs admo-
4 dum cxx excitantur incrēdibilī celeritātē; quae dēesse operī vidēbantur per-
5 ficiuntur. Hostēs posterō diē multō maiōribus coāctīs cōpiīs castra oppug-
6 nant, fossam complent. Eādem ratiōne, quā prīdiē, ab nostrīs resistitur. Hoc
7 idem reliquīs deinceps fit diēbus. Nūlla pars nocturnī temporis ad labōrem
8 intermittitur; nōn aegrīs, nōn vulnerātīs facultās quiētis datur. Quaecumque
9 ad proximī diēi oppugnātiōnem opus sunt noctū comparantur: multae
10 praeustae sudēs, magnus mūrālium pīlōrum numerus īstituitur; turrēs
11 contabulantur, pinnae lōricaeque ex crātibus attexuntur. Ipse Cicerō, cum
12 tenuissimā valētūdine esset, nē nocturnum quidem sibi tempus ad quiētem
13 relinquēbat, ut ultrō mīlitum concursū ac vōcibus sibi parcere cōgerētur.

1 [41] Tunc ducēs prīcipēsque Nerviōrum quī aliquem sermōnis aditum
2 causamque amīcitiae cum Cicerōne habēbant colloquī sēsē velle dīcunt.
3 Factā potestāte eadem quae Ambiorīx cum Titūriō ēgerat commemorant:
4 omnem esse in armīs Galliam; Germānōs Rhēnum trānsisse; Caesaris reli-
5 quōrumque hiberna oppugnārī. Addunt etiam de Sabīnī morte; Ambiorī-
6 gem ostentant fideī faciendae causā. Errāre eōs dīcunt, sī quicquam ab hīs
7 praesidī spērent, quī suīs rēbus diffīdant; sēsē tamen hōc esse in Cicerōnem
8 populumque Rōmānum animō, ut nihil nisi hiberna recūsant atque hanc
9 inveterāscere cōsuētūdinem nōlint: licēre illīs incolumibus per sē ex hi-
10 bernīs discēdere et quāscumque in partēs velint sine metū proficīscī. Cicerō
11 ad haec ūnum modo respondit: nōn esse cōsuētūdinem populī Rōmānī
12 accipere ab hoste armātō condiōnem; sī ab armīs discēdere velint, sē ad-
13 iūtōre ūtantur lēgātōsque ad Caesarem mittant; spērāre prō eius iūstitiā quae
14 petierint impetrātūrōs.

Student Edition, page 153

1 [42] Ab hāc spē repulsī Nervīī vāllō pedum ix et fossā pedum xv hiberna
2 cingunt. Haec et superiōrum annōrum cōnsuētūdine ab nōbīs cognōverant
3 et, quōs clam dē exercitū habēbant captīvōs, ab eīs docēbantur; sed nūllā
4 ferrāmentōrum cōpiā quae esset ad hunc ūsum idōnea, gladiīs caespitēs
5 circumcīdere, manibus sagulīsque terram exhaurīre vidēbantur. Quā qui-
6 dem ex rē hominum multitūdō cognōscī potuit: nam minus hōrīs tribus
7 mīlium passuum in circuitū iii mūnitiōnem perfēcērunt; reliquīsque diēbus
8 turrēs ad altitūdinem vāllī, falcēs testūdīnēsque, quās īdem captīvī docue-
9 rant, parāre ac facere coepērunt.

Student Edition, page 155–159

1 [43] Septimō oppugnātiōnis diē, maximō coortō ventō, ferventēs fūsili ex
2 argillā glandēs fundīs et fervefacta iacula in casās, quae mōre Gallicō strā-
3 mentīs erant tēctae, iacere coepērunt. Hae celeriter ignem comprehendē-
4 runt et ventī magnitūdine in omnem locum castrōrum distulērunt. Hostēs
5 maximō clāmōre, sicutī partā iam atque explōrātā victōriā, turrēs testūdi-
6 nēsque agere et scālīs vāllum ascendere coepērunt.

7 At tanta mīlitum virtūs atque ea praesentia animī fuit ut, cum ubīque flam-
8 mā torrērentur maximāque tēlōrum multitūdine premerentur suaque om-
9 nia impedīmenta atque omnēs fortūnās cōnflāgrāre intellexerent, nōn modo
10 dēmigrandī causā dē vāllō dēcēderet nēmō, sed paene nē respiceret quidem
11 quisquam, ac tum omnēs acerrimē fortissimēque pugnārent.

12 Hic diēs nostrīs longē gravissimus fuit, sed tamen hunc habuit ēventum, ut
13 eō diē maximus numerus hostium vulnerārētur atque interficerētur, ut sē
14 sub ipsō vāllō constipāverant recessumque prīmīs ultimī nōn dabant. Pau-
15 lum quidem intermissā flammā et quōdam locō turri adactā et contingente
16 vāllum, tertiae cohortis centuriōnēs ex eō quō stābant locō recessērunt su-
17 ōsque omnēs remōvērunt; nūtū vōcibusque hostēs, sī introīre vellent, vocāre
18 coepērunt; quōrum progredi ausus est nēmō. Tum ex omnī parte lapidibus
19 coiectīs dēturbātī, turrisque succēnsa est.

1 [44] Erant in eā legiōne fortissimī virī, centuriōnēs, quī prīmīs ōrdinibus
2 appropinquārent, T. Pullō et L. Vorēnus. Hī perpetuās inter sē contrōversiās
3 habēbant, quīnam antēferretur, omnibusque annīs dē locīs summīs simul-
4 tātibus contendēbant. Ex his Pullō, cum ācerrimē ad mūnitiōnēs pugnārē-
5 tur, “Quid dubitās,” inquit, “Vorēne? aut quem locum tuae prō laude virtū-
6 tis spectās? Hic diēs dē nostrīs contrōversiīs iūdicābit.” Haec cum dīxisset,
7 prōcēdit extrā mūnitiōnēs, quaeque pars hostium cōnfertissima est vīsa ir-
8 rumpit. Nē Vorēnus quidem sēsē vāllō continet, sed omnium veritus exīs-
9 timātiōnem subsequitur. Tum mediocrī spatiō relictō Pullō pīlum in hostēs
10 immittit atque ūnum ex multitūdine prōcurrentem trāicit; quō percussō et
11 exanimātō, hunc scūtīs prōtegunt, in hostem tēla ūniversī coiciunt neque
12 dant regrediendī facultātem. (continued)

Student Edition, page 163

13 Trānsfīgitur scūtum Pullōnī et verūtum in balteō dēfīgitur. Āvertit hic
14 cāsus vāgīnam et gladium ēducere cōnantī dextram morātur manum, im-
15 pedītumque hostēs circumsistunt. Succurrit inīmicus illī Vorēnus et labō-
16 rantī subvenit. Ad hunc sē cōfestim ā Pullōne omnis multitūdō conver-
17 tit; illum verūtō arbitrantur occīsum. Gladiō comminus rem gerit Vorēnus
18 atque ūnō interfectō reliquōs paulum prōpellit; dum cupidius īstat, in lo-
19 cum dēiectus īferiōrem concidit. Huic rursus circumventō fert subsidium
20 Pullō, atque ambō incolumēs complūribus interfectīs summā cum laude
21 sēsē intrā mūnitiōnēs recipiunt. Sīc fortūna in contentiōne et certāmine ut-
22 rumque versāvit, ut alter alterī inimīcus auxiliō salūtique esset, neque dīiū-
23 dicārī posset, uter utrī virtūte antefendus vidērētur.

1 [45] Quantō erat in diēs gravior atque asperior oppugnātiō, et maximē quod,
2 magnā parte mīlitum cōfectā vulneribus, rēs ad paucitātem dēfēnsōrum
3 pervēnerat, tantō crēbriōrēs litterae nūntiīque ad Caesarem mittēbantur;
4 quōrum pars dēprehēnsa in cōspectū nostrōrum mīlitum cum cruciātū
5 necābātur. Erat ūnus intus Nervius, nōmine Verticō, locō nātus honestō, quī
6 ā prīmā obsidiōne ad Cicerōnem perfūgerat suamque eī fidem praestiterat.
7 Hic servō spē lībertātis magnīsque persuādet praemiīs ut litterās ad Cae-
8 sarem dēferat. Hās ille in iaculō inligātās effert et Gallus inter Gallōs sine
9 ūllā suspiciōne versātus ad Caesarem pervēnit. Ab eō dē perīculīs Cicerōnis
10 legiōnisque cognōscitur.

1 [46] Caesar, acceptis litteris hora circiter undecima diei, statim nuntium in
2 Bellocacos ad M. Crassum quaestorem mittit, cuius hiberna aberant ab eo
3 milia passuum xxv; iubet media nocte legionem proficisci celeriterque ad
4 se venire. Exit cum nuntio Crassus. Alterum ad C. Fabium legatum mittit,
5 ut in Atrebatum fines legionem adducat, quam sibi iter faciendum sciebat.
6 Scribit Labieno, si rei publicae commodum facere posset, cum legione ad fi-
7 nes Nerviorum veniat. Reliquam partem exercitus, quod paulo aberat lon-
8 gius, non putat expectandam; equites circiter quadringentos ex proximis
9 hibernis colligit.

1 [47] Hōrā circiter tertiā ab antecursōribus dē Crassī adventū certior factus,
2 eō diē mīlia passuum xx prōcēdit. Crassum Samarobrīvae praeficit legiō-
3 nemque attribuit, quod ibi impedīmenta exercitūs, obsidēs cīvitatū, lit-
4 terās pūblicās, frūmentumque omne quod eō tolerandae hiemis causā dē-
5 vexerat relinquēbat. Fabius, ut imperātum erat, nōn ita multum morātus in
6 itinere cum legiōne occurrit. Labiēnus, interitū Sabīnī et caede cohortium
7 cognitā, cum omnēs ad eum Trēverōrum cōpiae vēnissent, veritus nē, sī ex
8 hibernīs fugae similem profectiōnem fēcisset, hostium impetum sustinēre
9 nōn posset, praesertim quōs recentī victōriā efferrī scīret, litterās Caesarī
10 remittit: quantō cum periculō legiōnem ex hibernīs ēductūrus esset; rem
11 gestam in Eburōnibus perscrībit; docet omnēs equitatūs peditātūsque cōpiās
12 Trēverōrum tria mīlia passuum longē ab suīs castrīs cōnsēdisse.

1 [48] Caesar, cōnsiliō eius probātō, etsī opīniōne trium legiōnum dēiectus
2 ad duās redierat, tamen ūnum commūnis salūtis auxilium in celeritāte pō-
3 nēbat. Vēnit magnīs itineribus in Nerviōrum finēs. Ibi ex captīvīs cognōscit
4 quae apud Cicerōnem gerantur quantōque in perīculō rēs sit. Tum cuidam
5 ex equitibus Gallīs magnīs praemiīs persuādet utī ad Cicerōnem epistolam
6 dēferat. Hanc Graecīs cōscriptam litterīs mittit, nē interceptā epistolā nos-
7 tra ab hostibus cōsilia cognōscantur. Sī adīre nōn possit, monet ut trāgu-
8 lam cum epistolā ad ammentum dēligātā intrā mūnitiōnem castrōrum abici-
9 at. In litterīs scribit sē cum legiōnibus profectum celeriter adfore; hortātur ut
10 prīstinam virtūtem retineat. Gallus perīculum veritus, ut erat praeceptum,
11 trāgulam mittit. Haec cāsū ad turrim adhaesit neque ab nostrīs biduō ani-
12 madversa tertiō diē ā quōdam mīlite cōspicitur, dēmpa ad Cicerōnem
13 dēfertur. Ille perlectam in conventū mīlitum recitat, maximāque omnēs
14 laetitiā adficit. Tum fūmī incendiōrum procul vidēbantur, quae rēs omnem
15 dubitātiōnem adventūs legiōnum expulit.